
WIDENER LIBRARY
HX JUCE $


ACADEMIAE HARVARDIANAE
VE
RI
TAS

DE HAUD ET HAUDQUAQUAM NEGATIONUM APUD SCRIPTORES LATINOS USU

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

HERMANNUS PLANER

ALTENBURGENSIS

JENAE

TYPIS FROMMANNI (H. POHLE)

MDCCCLXXXVI

Cum studia uirorum doctorum huius aetatis, qui quidem operam dant rei grammaticae linguae latinae, imprimis spectent ad historicam ut ita dicam eius partem, et ipse hoc opusculo aliquid ad hanc rem illustrandam adferre conabor. Proposui autem mihi scribere historiam usus negationis illius linguae latinae, cuius originem ut inueniret, nemini adhuc contigit, dico negationis ‚haud‘. Sed priusquam ad hoc meum propositum transgrediar, paucis mihi uidentur perstringendae esse sententiae uirorum doctorum, quae ad hoc tempus de hac particula omnino prolatae sunt.

Ac primum quidem mihi hoc loco uidentur tractandae esse eae sententiae, quae allatae sunt de origine huius uocabuli; quae quidem non magni aestimandae sunt, ut accuratissime demonstrauit Fridericus Sigismundus in dissertatione [1]), quae est „de haud negationis apud priscos scriptores usu“. Nam ut omittamus ueteres illos grammaticos latinos Charisium et Marium Victorinum [2]), quorum originationes huius uocabuli iam dudum nihili factae sunt, recentiores quoque uiri docti, qui in hac re inuestiganda uersati sunt, longe a probabilitate absunt. Quis enim credere potest, ‚haud‘ negationem compositam esse ex ‚h‘ radicis ‚ho‘ pronominis demonstratiui ‚hic, haec, hoc‘, ex ‚au‘ aduerbio, quod idem sit atque nostrum „hinweg“ et lateat in talibus uerbis, qualia sunt

1) cf. p. 1. et 2.
2) cf. Gramm. lat. ed. H. Keil. I., p. 112 et VI. p. 15.

‚aufero‘ et ‚aufugio‘, ex suffixo ‚de‘ (= eben, gerade), quod exstet in ‚exinde, deinde, proinde‘ pro ‚exin, dein, proin‘, ut censuit Corssenus?[1]). Nec aliter iudicandum est de sententiis Handii[2]), Stuerenburgii[3]), Reinholdi Klotzii[4]). Sed his omnibus de rebus luculentissime egit Fridericus Sigismundus loco modo allato, ut non habeam, quod addam. Equidem plane amplector eius sententiam, quam etiam alii uiri docti iam ante eum professi sunt, originationem huius uocabuli a nobis inuestigari non posse. Id autem certum est, ‚haud‘ una cum lingua latina interiisse, cum in nulla lingua romanensi, quas omnes ex illa originem duxisse constat, grammaticis, qui illis linguis operam nauauerunt, auctoribus, ullum huius uocabuli uestigium supersit[5]).

Non magis de ratione scribendi certa lex constitui potuit, cum nobis tres omnino formae huius particulae traditae sint: ‚hau, haud, haut‘. Atque ‚hau‘ quidem forma apud priscos tantum scriptores et apud Vergilium[6]) exstat; praeterea nititur auctoritate tituli[7]) qui temporibus liberae reipublicae attribuendus uidetur. Formae ‚haud‘ et ‚haut‘ in omnium fere scriptorum codicibus permixtim exstant, sed titulis quoque firmantur[8]).

---

1) cf. Corssen, Aussprache I. p. 205.

2) cf. Hand ‚Tursellinus‘ III. p. 15.

3) cf. Stuerenburg ‚Ciceronis de officiis libri tres‘. 1834. p. 126.

4) cf. R. Klotz ‚M. Tullii Ciceronis disputationes Tusc‘. p. 173. 232.

5) cf. Diez ‚Grammatik der romanischen Sprachen‘ II, p. 478.

6) cf. Verg. Aen. I, 327. V, 462. IX, 804. X, 737.

7) cf. Mommsen, Corp. inscr. lat. I, n. 1007. „Heic est sepulcrum hau pulcrum pulcrai feminae“.

8) cf. Corp. inscr. l. I, 1306. Eam quoniam haut licitumst ueiuam a matre ornarier. ibid. II, 562. menses excedere septem haut licitum. ibid. VI, 1, 1163, 12.

Quod attinet ad priscos scriptores et praeter ceteros Plautum, Fleckeisenus[1]) conatus est certam quandam legem constituere, ante labiales et linguales consonantes ‚hau‘ scribendum esse, ante gutturales et uocales ‚haut‘. Sed Ritschelius[2]) demonstrauit, codices Plautinos ‚hau‘ etiam ante ‚c‘ et ‚q‘ exhibere.

Haec fuerunt, quae de scriptura huius particulae in medium proferre potui; restat, ut pauca dicam de notione.

Stuerenburgius[3]) quidem, cui maxima ex parte adsentiuntur Nic. Maduigius[4]) et Reinholdus Klotzius[5]), ‚haud‘ cum fluctuatione quadam negare planeque respondere nostro „nicht eben“, ‚non‘ autem simpliciter et directe negare putat. Cuius sententiam neque priscorum scriptorum usu huius uocabuli, quem ille omnino neglexisset, neque eorum scriptorum usu, quos ad hanc rem excutiendam adhibuisset, confirmari Sigismundus rectissime explicauit. Neque uero mea quidem sententia est, cur Sigismundo non adsentiamur; nam si ‚haud‘ solum suffecisset ad exprimendam locutionem „nicht eben“, scriptores certe non adhibuissent ‚haud ita‘, quod inuenimus exempli gratia[6]) apud Cornelium Nepotem, auctorem belli Africani, Liuium, Ammianum Marcellinum, alios, ut ex indice meo, quem huic opusculo subiciam, uidere licet.

Haut partem exiguam montis Pontoque tumenti. — ibid. II, 3001. Haud optare alias fas erat inferias. ibid. V, 2 p. 619 (3, 8) = Ennod. carm. II 19: Et cibus haud deerat lactis Apostolici. ibid. p. 621 (9, 8): Haud valuisse iugis applicitis vehere. ibid. p. 705 (5, 3): cuius haud lector uitam tibi credere scaptor.

1) cf. Fleckeisenus, ann. philolog. 1850 uol. 60, p. 253.

2) cf. Ritschl. opusc. II, p. 592 adn.

3) de off. p. 125.

4) Lat. Sprachlehre für Schulen. 1867[4], p. 401.

5) Disput. Tusc. p. 143. 173.

6) Afferam nunc paucos tantum locos: Corn. Nep.

Alia et quidem opinioni Stuerenburgii plane contraria est sententia Ferdinandi Handii, qui huic particulae maiorem uim attribuit quam particulae ‚non‘ quam sententiam in Plauti et Terentii quidem fabulis non uigere Sigismundus uberrime exposuit. Equidem contendere posse mihi uideor, eam omnino non uigere. Primum enim intellegi non posset, si ‚haud‘ maiorem uim habuisset quam ‚non‘, quo modo utramque negationem scriptores usurpare potuerint ad neganda eadem uocabula. Deinde ‚non‘ ortum est ex ‚ne unum‘, ut non facile grauitate superari potuerit. Denique cur Romani dixissent ‚haud sane‘ (= gewiss nicht), si ‚haud‘ solum eandem uim habuisset, non satis appareret. Inuenimus autem ‚haud sane‘ locutionem a Plauto usque ad Gellium apud optimos scriptores, quorum opera nobis seruata sunt. Sufficiat hoc loco haec attulisse exempla: Plaut. Trin. 625. Hau sane euscheme astiterunt. Ter. Adelph. 783. commissatorem haud sane commodum. Sall. c. Cat. 37, 9. haud sane alio animo belli euentum exspectabant. Cic. Tim. 3. haud sane erit mirum. Liv. 5, 32, 3. bellum haud sane asperum fuit. Curt. Ruf. 4, 6, 4. haud sane aequo animo. Suet. Vitell 14. haud sane difficulter. Aul. Gell. 7, 15, 6. rationibusque haut sane frigidis docuit.

Praeter haec argumenta non neglegendi mihi quidem uidentur ueteres grammatici, quorum e numero nullus de notione huius particulae uerba fecit; qua ex re suspicari posse mihi uideor, aut illo tempore omnem differentiam inter utriusque particulae significationem iam

IV, 1, 2. haud ita magna manu Graeciae fugatus est (= mit der nicht eben, nicht gerade grossen Macht). ibid. XVII, 4, 5. Cum iam haud ita longe abesset a Peloponneso (= nicht eben weit). auct. bell. Afric. 30, 2. haud ita longe a Caesaris castris constitit. Liv. I, 31, 5. haud ita multo post pestilentia laboratum est. Amm. Marcell. 14, 6, 19. ut cum peregrini ob formidatam haut ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab urbe praecipites.

euanuisse, aut omnino nullam unquam exstitisse: cui sententiae nescio an quidquam tribuendum sit.

Neque aliud ac de Stuerenburgii et Handii sententiis iudicium faciendum est de opinionibus Zumptii[1]) et Haasii[2]), qui subiectiuum quendam, ut ita dicam, colorem sermoni hac negatione dari contendunt, ut modo respondeat nostro „gar nicht“, modo nostro „nicht eben“; nam recte monet Sigismundus, non intellegi posse, qua ratione unum uocabulum duas contrarias significationes continere possit, neque cur Romani locutiones uelut, nullo modo, omnino non, neutiquam, nequaquam, haud ita‘, — quibus addendum est ‚haud sane‘, et ‚haudquaquam‘ — adhibuerint, si ‚haud‘ per se ipsum uim orationis aut auxerit aut attenuauerit.

Rebus sic se habentibus optima mihi uidetur esse sententia ea, quam iam protulit Forcellinus[3]) quamque comprobauerunt Draegerus[4]) et Sigismundus, qui ‚haud‘ omnino non ui, sed usu tantum differre a ‚non‘ iudicant. Hanc igitur sententiam sequens conabor demonstrare, qui quaque aetate linguae latinae fuerit usus huius particulae, remque sic instituam, ut primo capite breviter agam de priscis scriptoribus, altero de aureae quae uocatur latinitatis scriptoribus, tertio capite de scriptoribus argenteae quae uocatur latinitatis usque ad Suetonium, quarto capite de scriptoribus a Frontone usque ad finem linguae latinae, quinto capite de usu particulae compositae ‚haudquaquam‘, ad extremum adiungam indicem omnium locorum, quibus ‚haud‘ et ‚haudquaquam‘ inueni.

---

1) cf. Lateinische Grammatik § 277.

2) cf. Reisig, Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. p. 407.

3) cf. eius lexic.

4) Hist. Synt. d. lat. Spr. I^{2}, p. 134.

I.

De ‚haud‘ negationis apud priscos scriptores usu.

Atque horum quidem scriptorum in usu describendo nihil aliud facere possum nisi paucis exponere, quid Sigismundus in dissertatione sua demonstrauerit. Videmus autem ex ea, illos scriptores saepissime hanc particulam adhibuisse ad negandas singulas notiones, rarissime uero ad neganda tota enuntiata. Quas notiones si paulo diligentius perlustrabimus, maxima ex parte constare ex adiectiuis et aduerbiis uidebimus, raro autem inter eas uerba conspici. Adiectiua quae hac negatione negantur, plerumque significant uel modum uel aestimationem, ut ‚multus, permultus, longus, perlonginquus, magnus, mediocris, aequus, iniquus, similis, dissimilis, facilis, malus, bonus, probus, decorus, par, pulcher, mirus, mirandus, mirabilis‘. Alia adiectiua sunt ‚inuitus, grauatus, molestus, alienus, temerarius, dubius, falsus, imperitus, indoctus, insanus, indignus, inpurus, inliberalis, immeritus, sordidus, inultus, luculentus, meretricius, subditiuus, optabilis, discordabilis, consentaneus, mendax, uerisimilis‘. Quibus adiectiuis addenda sunt etiam pronomina „alius“ et ‚quisquam‘. Quae adiectiua qui diligentius percensebit, animaduertet, pleraque coniuncta cum ‚haud‘ in contrariam significationem euadere, ut efficiatur figura litotetos quae nominatur, quod praecipue elucet in iis adiectiuis, quae composita sunt cum syllabis negatiuis ‚dis‘ et ‚in‘.

Idem fere quod de adiectiuis dictum est, quibuscum prisci scriptores hanc negationem coniunxerunt, dicendum de aduerbiis. Horum quoque in numero inuenimus significantia uel modum uel aestimationem, ut ‚multo, multum, longe, longule, mediocriter, facile, male, perbene, probe, decore‘. Alia sunt ‚grauate, temere,

indocte, stulte, meretricie, lubenter, euscheme, amice, familiariter, commode, somniculose, auspicato, cito, aliter, secus, etiam, dum, diu, dudum, magis, minus, satis, aeque, ita, sic, saepe, clam, usquam, nihil' Quibus aduerbiis adiungenda sunt substantiua 'dolo' (= dolose) et 'ab re'.

Jam transeamus ad uerba, quae haec fere sunt: 'accusare, celare, dehortari, deridere, dare, dormitare, dubitare, fatisci, fugere, interesse, intermittere, morari, mutare, nescire, nolle, perire, recusare, repudiare, desiderare, reticere, sordere, spernere, sinere, desinere, placere, solere, uereri, metuere, licet, decet, condecet, opus est, conuenit, periculum est'.

Exemplis horum uerborum allatis Sigismundus enumerat talia, qualia sunt 'postulo, uolo, scio, nosco, possum, queo', quibus quasi transitionem effici putat ab illis exemplis, quibus 'haud' ad singula tantum uocabula pertinet, ad ea, quibus totum enuntiatum uidetur negari. Sed de hac re mea quidem sententia dubitari potest.

Ad extremum in eius dissertatione inuenimus enumeratos eos locos, quibus 'haud' magis ad totum enuntiatum quam ad singulas notiones uidetur pertinere quosque tamen legi suae, 'haud' nunquam fere aliud fuisse ac quod nos dicimus „Wortnegation", accommodari posse recte iudicat. Quibus exemplis adiecit ea, quibus 'haud' positum est in antithesi; porro ea, quae ita interpretanda esse censet, tamquam res contineant contrarias, denique ea, quibus 'haud' absolute, ut nos dicimus, positum est.

Maximi uero momenti ad fulciendam Sigismundi sententiam, ex qua 'haud' apud priscos scriptores nunquam eandem uim habet ac negatio Graeca μή, hoc est, quod nunquam fere apparet in sententiis condicionalibus, consecutiuis aliisque similis condicionis, interrogatiuis, relatiuis, infinitiuis; si uero in his enuntiatis apparet,

non totam sententiam negat, sed semper singula tantum uocabula. Quam legem etiam apud scriptores reliquarum aetatum linguae latinae ualere proximis capitibus demonstrabo.

II.

De ‚haud' negationis apud aureae quae uocatur latinitatis usu.

Si scriptores huius aetatis, qui oratione soluta usi sunt, perlustramus, nobis occurrit res admodum mira. Nam magnus eorum numerus hanc negationem omnino respuit. Sic eam non inuenimus apud Cornificium siue auctorem ad Herennium qui uocatur, non inuenimus eam apud Varronem Reatinum, apud Quintum Ciceronem, in monumento Ancyrano, apud Verrium Flaccum, id est in excerptis ex eius libris a Festo factis[1]), apud Julium Hyginum, apud Vitruuium Pollionem. Porro nusquam exstat in fragmentis aliorum illius aetatis scriptorum nobis seruatis. Quorum scriptorum e numero cum Cornificius proxime ad aetatem Plauti et Terentii accedat, Varro autem et Vitruuius Pollio in genere dicendi suo ad sermonem uulgarem, suspicor hanc negationem illo tempore e sermone cottidiano non dicam plane, sed paene euanuisse. Quam meam sententiam uidetur fulcire ea res, quod etiam Cicero in prioribus scriptis suis, id est in libris, qui sunt ‚de inuentione' et in prioribus orationibus hanc uocem plane spreuit, in reliquis autem scriptis et praecipue in epistulis, quae proxime accedunt ad sermonem cottidianum, non ita saepe adhibuit. Huc accedit, quod reliqui scriptores illius aetatis, qui hac negatione usi sunt, aut perraro ea usi sunt, ut

1) In Pauli Diaconi excerptis interpretatum inueni ‚haud secus' locutione ‚non aliter'.

Caesar, Cornelius Nepos, M. Annaeus Seneca, aut sermonem priscorum scriptorum imitati sunt ut Sallustius et Liuius.

Quod attinet ad poetas, commemorandum est, praecipue eos qui uersu hexametro usi sunt hanc negationem adhibuisse, paene autem spreuisse eam eos, qui metro elegiaco quod uocatur siue aliis usi sunt.

Sed iam ad usum horum scriptorum ipsum tractandum transeam et initium capiam a Cicerone. — Ea uox, quacum Cicero saepissime „haud“ coniunxit, uerbum „scio“ est; nam locutio „haud scio“ centies fere in eius scriptis legitur. Reliqua uocabula, quae apud eum hac negatione negantur, maxima ex parte exstant in scriptis philosophicis; deinde sequuntur epistulae, ultimum locum obtinent orationes et scripta ad artem rhetoricam spectantia.

In his scriptis, quae extremo loco nominaui, uocabula, quae cum „haud“ coniunguntur, haec sunt: adiectiua, obscurus, uerisimilis“, aduerbia „mediocriter, sane, multum, paulo“, uerba „dubitare, requirere“. Sed monendum est, praeter „dubitare“, quod bis „haud“ particula negatum est, omnia reliqua uocabula, quae modo enumeraui, semel tantum cum „haud“ a Cicerone coniuncta esse.

In scriptis philosophicis primum numero locum obtinent aduerbia, ut „facile, ita, paulo, procul, sane, unquam“, quae sequuntur uerba „ignorare, errare, assentiri, dubitare, niti, abhorrere, intellegere, esse, periculum est“; denique adiectiua „difficilis, mediocris, mirus“, quibus adiungenda sunt pronomina „idem“ et „quisquam“.

In epistulis inuenitur nullum adiectiuum cum hac negatione coniunctum, sed unum pronomen „ullus“, praeterea aduerbia „lepide, multum, paulo, unquam“, et praeter formulam „haud scio“ tantum uerbum „amare“.

Multo etiam simplicior quam apud Ciceronem usus huius uocabuli est in libris Caesaris, Cornelii Nepotis,

Sallustii. Caesar enim semel omnino in omnibus scriptis, quae ei iure adscribuntur, adhibuit formulam ‚haud scio‘ [1]. Ex iis scriptis, quae Caesaris quidem nomine feruntur, sed aliis auctoribus attribuenda sunt, mentio facienda est eius, quod est ‚de bello Africano‘ quodque praebet locutiones ‚haud longe, haud ita longe, haud ita diu‘. Etiam Cornelius Nepos ter tantum usus est hoc uocabulo in negandis uocibus ‚magnus, longe, ita longe‘.

Paulo saepius hanc particulam usurpauit Sallustius, maximam autem partem ad neganda aduerbia et adiectiua, semel tantum ad negandum uerbum. Adiectiua sunt haec: ‚absurdus, difficilis, facilis, ignarus, occultus, obscurus, timidus‘, huc accedunt pronomina ‚alius‘ et ‚quisquam‘ (adiecta uoce ‚sane‘); aduerbia sunt: ‚difficulter, dissimiliter, dubie, facile, impigre, longe, multo, procul, satis, saepe, secus‘. Verbum, quocum Sallustius ‚haud‘ negationem coniunxit, ‚repellere‘ est; cum uero participium ‚repulsus‘ sit, potius in numero adiectiuorum habendum est, ut recte contendamus, apud Sallustium ‚haud‘ nisi cum aduerbiis et adiectiuis coniunctum non exstare.

Hoc loco adiungendae sunt incerti rhetoris suasoriae ‚ad Caesarem senem de republica‘ quae inscribuntur quaeque falso Sallustio adscriptae sunt. Sed hae suasoriae ut in aliis rebus, ita ne in ‚haud‘ quidem particula usurpanda cum Sallustii genere dicendi congruunt. Nam exceptis adiectiuis ‚difficilis‘ et ‚obscurus‘ itemque aduerbio ‚procul‘ hanc negationem ibi uidemus ante aduerbia ‚absurde, ferme, mediocriter‘, quae locutiones in scriptis Sallustianis desiderantur. Quod uero prorsus abhorret ab usu Sallustiano, coniunxit auctor illarum suasoriarum hanc negationem cum uerbis, quae sunt: ‚abesse, mirari, contemnere, paenitet, scire‘.

---

1) cf. bell. Gall. V, 54, 5.

Jam transgrediar ad Liuium, cuius usum huius particulae optime digessit Mauricius Muellerus [1]) quemque auctorem secutus sum.

Liuius omnium scriptorum saepissime hac negatione usus est omnino 838ies teste Muellero. Neque uero hic scriptor semper eodem amore hanc particulam amplexus est; nam in posterioribus libris minus frequenter exstat quam in prioribus, quae res fortasse inde explicanda est, quod fontes, quibus in prioribus libris usus est, uberius eam praebebant. — Vocabula uero ipsa, ad quae neganda hanc negationem usurpauit, maxima ex parte aduerbia sunt (451); sequuntur numero adiectiua (309), uerba (49), pronomina (17); ultimum locum obtinent substantiua (12). Horum uocabulorum e numero fere 570 negatiuam uim habent, ut litotetos figura efficiatur. Sed omnia haec uocabula hoc loco enumerare nolo, quia et in Muelleri programmate accuratissime congesta sunt et ipse in indice meo ea proferam. Commemorabo nunc tantum nonnullos locos, quibus coniunctiones paulo rariores exhibentur. Sic apud Liuium, ut omittamus illum locum Plautinum [2]), quo Ritschelius coniectura id restituit, primum nobis occurrit „hauddum" quae locutio admodum rara est; nam a Liuio si discesseris, apud Silium Italicum, Apulejum, Tertullianum exstat. Praeterea commemoratione digna mihi uidentur „haud fere" siue „ferme" (= nostro „nicht eben gerade", ut „fere" uim negationis minuat), „haud tam — quam, „haud equidem" („equidem" auget uim negationis) et nota illa „haud ita" et „haud sane". — Etiam in antithesi „haud" a Liuio positum est, semper autem ad unum tantum uocabulum pertinens, non ad totum enuntiatum, ut ex locis, quos

---

1) cf. M. Mueller „zum Sprachgebrauch des Livius" Programm von Stendal 1877.

2) cf. Plaut. Pers. 137.

subieci, uidere licet: Liu. 9, 17, 5 haud equidem abnuo egregium ducem fuisse Alexandrum, sed clariorem tamen . . . . 21, 1, 2 et haud ignotas belli artes inter sese, sed expertas primo Punico conserebant bello. 25, 27, 1 haud magna oppida, ceterum clara.

Usus porro hac particula certe est Pompeius Trogus, quamquam id firmis argumentis stabilire non possum, sed conicere tantum ex epitome a Justino ex opere illius facta, quae 6^{ies} hanc negationem exhibet neque tamen aliter usurpatam atque aeuo Augusteo; nam exstat tantum ante aduerbium ‚secus‘ et adiectiua ‚inferior, laetus, mediocris‘. — Praeter hos scriptores commemorandi sunt etiam L. Annaeus Seneca rhetor qui uocatur et Rutilius Lupus, quorum quisque semel usus est hac particula; sed loci illi non satis codicum auctoritate fulciuntur, qua de re in indice meo agam.

Restat, ut paucis adumbrem usum poetarum, quamuis is non magni momenti sit ad iudicandam sermonis latini consuetudinem, cum poetis liberiore sermone uti liceat. Afferendi autem sunt hoc loco praeter ceteros, ut iam supra dixi, ii, qui uersu hexametro solo usi sunt. Quae mea sententia quam recta sit, inde colligi potest, quod Ouidius in eo carmine, quod inscribitur ‚Metamorphoses‘, 47^{ies} hoc uocabulo usus est, in omnibus reliquis suis carminibus 4er, qui tamen loci non satis certis codicum testimoniis nituntur. — Idem dicendum est de Horatio, qui in ‚carminibus‘ suis hanc particulam omnino neglexit, in ‚Epodon libro‘ semel adhibuit, in satiris autem et epistulis 15^{ies}. — Catullus bis, Tibullus semel ea usus est, paulo saepius Propertius, saepissime autem Lucretius et Vergilius. Aliquoties etiam exstat in Pseudouergilianis, in carminibus Grattii (Falisci), et Germanici, deest in carmine Manilii. — De omnium autem horum poetarum usu huius particulae, cum alias de eadem materia acturus sim, id tantum dicam, esse

eum paulo liberiorem, inprimis quod attinet ad collocationem, quae res certe arti metricae tribuenda est. Vocabula autem, quibus ab illis poetis haec particula adiecta est, itidem ut apud scriptores maximam partem adiectiua et aduerbia sunt, ad quae apud Lucretium, Vergilium, Ouidium non spernendus numerus uerborum accedit.

Haec fere fuerunt, quae pro magnitudine materiae, quam hoc opusculo tractaturus sum, de scriptoribus aureae quae uocatur latinitatis dicere potui. Vidimus, eam particulam exceptis Liuio et Vergilio iam non eadem uarietate adhibitam esse atque a priscis scriptoribus, apud nonnullos scriptores autem omnino deesse.

III.

Tractantur scriptores argenteae quae uocatur latinitatis.

Hac aetate usus huius particulae fere totus pertinet ad rerum scriptores eosque, qui in genere dicendi ad eos proxime accedunt, ut praecipue Plinius maior in priore parte historiae suae naturalis. Videmus enim ‚haud‘ exstare apud Velleium Paterculum, Valerium Maximum, Curtium Rufum, Plinium Maiorem, Suetonium, Florum, epitomatorem Liuii; neque haec res mihi mira uidetur, cum illos scriptores certe Sallustium et Liuium aliosque prioris aetatis scriptores non solum auctores rerum gestarum, sed etiam generis dicendi secutos esse constet.

Praeterea autem eam inuenimus semel apud Cornelium Celsum et Scribonium Largum, aliquoties apud Columellam[1]), Petronium Arbitrum, bis apud Pom-

1) Fortasse Vergilium secutus.

ponium Melam et Quintilianum. Plane desideratur in Senecae scriptis ad philosophiam spectantibus, cum idem scriptor in tragoediis suis eam admodum frequenter adhibuerit, siue secutus priscos poetas, siue Ouidium, quem et alias auctorem amplexus est. Porro deest in scriptis Asconii, Frontini, Plinii minoris [1]), Annii Flori, Velii Longi, Hygini gromatici, Balbi, Siculi Flacci. Sed iam usum eorum scriptorum huius aetatis, apud quos hanc negationem inuenimus, breuiter describamus.

Hic primus mihi commemorandus est Velleius Paterculus, qui hanc negationem usurpauit praecipue ad neganda adiectiua et aduerbia, semel tantum coniunxit cum uerbo. Vocabula autem ipsa eadem fere sunt atque antea; neque id mirum, cum omnino copia uocabulorum ut ita dicam scriptorum aureae quae uocatur latinitatis usus sit. Neque aliter res se habet in libris Valerii Maximi, in quibus usitatissimae tantum illae locutiones nobis occurrunt, quales sunt ‚haud dignus, paruus, dubius, fallax, procul, scio'. — Apud Cornelium Celsum tantum exstat ‚haud omnino'; Curtius Rufus uberrima exempla praebet, quibus imprimis ante adiectiua et aduerbia ‚haud' apparet, fere non abhorrens a Liuio, auctore suo in genere dicendi. Praeter cetera reperitur in eius libris ‚haud sane' cum participiis conjunctum. Quem scriptorem aetate sequuntur duo uel potius tres, quorum in scriptis perraro exstat ‚haud', dico Columellam, Scribonium Largum, Petronium Arbitrum. Hi enim scriptores cum uerbis id omnino non coniunxerunt, cum adiectiuis et aduerbiis rarissime. Sic Columella nobis praebet ter formulam ‚haud dubie', bis ‚haud dubitanter' semel ‚haud paulum, facile, procul, sane magnus'. Scribonius Largus semel tantum scripsit

1) Hac quoquere quod supra proposui, ‚haud' negationem e sermone familiari euasisse, fulciri mihi uidetur.

„haud facile“, Petronius Arbiter semel „haud altus, incultus, dubie, procul, impune, mora“.

Multo saepius hac negatione usus est Plinius Maior et quidem maximam partem ante adiectiua et aduerbia, rarius ante uerba, quorum e numero primum locum obtinet „haud scio“, quod in Curtii scriptis plane deesse uidimus. Id autem addendum esse mihi uidetur, eum imprimis in priore parte operis hanc negationem adhibuisse, id est usque ad librum duodeuicesimum (omnino 111ies), in posteriore autem parte bis tantum („haud facile, haud immerito“). Quae res fortasse inde explicanda est, quod in prioribus libris Plinius propius ad rerum scriptores in genere dicendi accedit, in posterioribus uero ieiuna plerumque enumeratio plantarum siue lapidum eorumque proprietatum ei occasionem huius particulae usurpandae rarissime praebet. Mirum etiam est, quod in prioribus libris fere semper dicit „haud dubie“, in posterioribus semper „non dubie“.

In eorum scriptorum numero, quibus „haud“ displicuit, Quintilianum quoque conspicimus, qui semel scripsit „haud dubie“ et „haud deesse“. — Summum fastigium autem usus huius uocabuli hac aetate escendit in scriptis Taciti, in quibus 233ies hanc negationem inuenimus; sed tantum in scriptis ad historiam pertinentibus exstat, in eo libro, qui inscribitur „dialogus de oratoribus“, quem Taciti esse putamus, plane deest. Neque uero in huius scriptis usus uocabuli alius est atque in libris antecedentium; nam omnes loci accommodari possunt illi legi, qua „haud“ usurpatur ad neganda singula uocabula. Unam tantum locutionem afferam, quae Tacitei sermonis propria est, dico „haud perinde — quam“, quaeque a Stuerenburgio explicata est per „eo modo“. Neque uero ei adstipulari possum, cum mea quidem sententia „haud perinde — quam“ nihil aliud sit ac „non tam — quam“, ut facile cognosci potest ex

talibus locis qualis est: Tac. ann. 14, 48: ‚haud perinde exitium Antiocho quam imperatori gloriam quaeri‘. In iis autem locis, in quibus enuntiatum ‚quam‘ coniunctione incohatum deest, facile suppleri potest, ut ann. 12, 40: ne diuisa haud perinde ad memoriam sui ualerent (scil: quam coniuncta). — Handius [1]) ‚perinde‘ in numero aliorum aduerbiorum, quibuscum ‚haud‘ coniungitur, enumerauit, qualia sunt ‚diu, dudum, saepe, ita, secus‘ alia, adnotatione adiecta: ‚in omnibus his (scil. locutionibus) reddendis Germani utuntur uocabulo ‚gar‘, quae res mea quidem sententia ut in reliquas locutiones, ita in hanc non quadrat. — Reliqua uocabula, quibuscum Tacitus ‚haud‘ coniunxit, maximam partem, ut apud alios scriptores, adiectiua et aduerbia sunt; frequenter uero ad uerba quoque neganda eo usus est. Deest autem apud eum plane ‚haud scio‘, quae formula omnino historicis non aeque placuit atque Ciceroni. Deest porro ‚haud‘ auctum siue minutum uocabulis ‚ita, fere, sane‘, nisi quod semel ann. 3, 41: ‚haud ferme ulla ciuitas‘, et hist. 3, 75: hic exitus ‚uiri haud sane spernendi‘ dixit. Sub finem aetatis, de cuius modo scriptoribus disserui, proferendi sunt Suetonius et Florus, quorum ex usu huius particulae nihil noui addiscere possumus. Uterque enim usitatissimas tantum locutiones easque perraro praebet; quin etiam Florus ante aduerbia tantum eam posuit.

Reliquum est, ut pauca dicam de poetis, de quibus idem contendere possum quod de poetis aetatis antecedentis. Praeter ceteros enim hoc uocabulo usi sunt, ut praetereamus nunc Senecae fabulas, ii poetae qui hexametrum uersum usurpauerunt, ut Lucanus, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Papinius Statius. Sed hi omnes, praecipue autem Valerius Flaccus, maxime Vergilium

1) cf. Tursellinus. III, p. 22, 23.

imitati sunt, ut plerumque cum eo congruant, quod etiam multo magis dicendum est de poetis sequentium aetatum, qui uersum hexametrum adhibuerunt; qua ex re apparet, qui factum sit, ut haec negatio apud poetas praecipue usque ad Corippum, poetam sexti p. Chr. n. saeculi, seruari potuerit, cum apud scriptores eius memoria iam paene deleta esset. — Quid de usu huius particulae in Senecae tragoediis iudicem, iam supra dixi; nunc afferendi sunt Phaedrus, Persius, incertus auctor carminis, quod Aetna inscribitur, Homerus latinus, quem Silium Italicum esse nunc putant, Juuenalis, quorum tamen in carminibus ‚haud‘ admodum raro reperitur.

Omnino ‚haud‘ aspernatus est Columella in decimo libro operis sui, in quo componendo sermone uincto usus est; semel tantum apparet in Martialis carminibus.

IV.

Agitur de scriptoribus, qui fuerunt a Frontone usque ad extremam linguae latinae aetatem.

Hoc capite complectar omnes reliquos scriptores, quos quidem ad propositum meum conficiendum perlegi, quorum e numero primo loco proferendi sunt Fronto, Aulus Gellius, Apuleius, qui artiore quodam uinculo inter se cohaerent.

Neque uero quidquam noui ex eorum scriptis ad rem meam explicandam haurire potui, nisi quod coniunctionem ‚haud‘ negationis cum uerbis primum neglegi cognoui. Nam hi tres scriptores longe saepissime hanc particulam adhibuerunt ad neganda aduerbia et adiectiua, raro autem ad neganda uerba, quod apud sequentes scriptores in dies magis factum esse apparebit. Vocabula uero ipsa, quibuscum ‚haud‘ apud eos coniunctum uidemus, non dicam omnia, sed permulta eadem sunt

atque antea, quod mirum non est, quia, ut inter omnes constat, hi tres scriptores praeter ceteros generi dicendi priscorum temporum studuerunt. Id unum addatur, semper apud Frontonem et Apuleium occurrere formulam 'haud sciam' pro 'haud scio' reliquorum scriptorum, quam formulam nisi apud Ciceronem et Liuium antea nusquam repperi: postea autem semel apud Chalcidium et in epistula imperatoris Theodosii inter Ausonii opera exstante posita est.

His scriptoribus tractatis comprehendam eos, qui uixerunt ab Apuleio usque ad Marium Victorinum, grammaticum illum minime spernendum. De huius temporis scriptoribus omnino dicendum est, memoriam huius negationis apud eos paene exstinctam fuisse. Neque enim exstat apud Ampelium, apud Granium Licinianum, apud Gaium [1]), apud Minucium Felicem. Non ita frequens est in scriptis Tertulliani (haud dum, minus, facile, gnarus, desiderare, mirari, latere, queo, iussurus (?)), semel inueni in commentariis Porphyrionis; desideratur autem in commentariis, qui sub Helenii Acronis nomine quamuis falso feruntur.

Porro 'haud' non exstat in Censorini libro, qui est 'de die natali'; semel legi in Plinii Valeriani excerptis ex Gargilii Martialis libris factis (haud inutiliter). Neglectum est a Cypriano et a Commodiano; aliquoties denuo legitur apud Solinum coniunctum cum adiectiuis et aduerbiis, qui quin ex Plinii maioris, auctoris sui, libris

---

1) Jureconsultis uidetur 'haud' minime placuisse, quippe quorum in scriptis omnibus, quae nobis seruata sunt, 'haud' inuenerim his locis, de quibus etiam dubitare licet, cum non omnes codicum auctoritate nitantur: fragm. iurispr. anteiust. (ed. Huschke) pag. 736, n. 113. haud constituta. pag. 761. n. 242 haud impetrasse ut.... ibid. pag. 766 n. 249. haut litium causa peruulgatis. ibid. p. 797. 3, 11 (Huschke) haud rem ratam habiturum.

id adsumpserit, uix dubium est. Deest haec negatio in Nonii Marcelli libro; aliquoties usi sunt ea Panegyrici, Trebellius Pollio, Arnobius, coniuncta cum adiectiuis et aduerbiis, qualia sunt „immerito, unquam, aliter, ignobilis, contentus, exilis, dissimilis“, cum Lactantius Firmianus, discipulus Arnobii, eam contempserit. Saepius deinde eam uidemus in historia Alexandri Magni ex Graeca lingua in latinam a Julio Valerio translata neque tamen aliter atque ab aetatum priorum scriptoribus usurpatam.

Differt autem hic scriptor ab reliquis illius aetatis scriptoribus, quod cum uerbis quoque saepius eam coniunxit. — Sequitur tempore Julius Capitolinus, qui scripsit semel „haud aliter, secus, simul“: non autem inuenitur in Firmici Materni profanam religionem sequentis libris nec apud Firmicum Maternum christianam religionem sequentem. Chalcidius bis „haud“ adhibuit ad neganda uocabula „ita“ et „scio“. Paulo saepius Marius Victorinus eo usus est („haud aliter, alias, ita, facile, immerito, difficilis, dispar, praetermittere, pati“). — Cum uero nunc per Marium Victorinum ad grammaticos peruenerim, hoc loco eorum usum huius particulae tractabo. Ac si eos omnes, quorum quidem opera nobis tradita sunt, considerabimus, eos hoc uocabulum non adamasse uidebimus, cum pauci tantum iique perraro id adhibuerint, plerique uero ne commemorauerint quidem.

Flauius Caper [1]) semel scripsit „haud dices“. Velius Longus, Terentius Scaurus, Marius Plotius Sacerdos, Terentianus Maurus, Juba „haud“ non solum non usurpauerunt, sed ne mentionem quidem eius fecerunt: quod idem dicendum est de Donato et Sergio. Marius Victorinus autem id non solum adhibuit, ut iam supra dixi, sed etiam conatus est eius originationem

---

1) cf. Keil. Gramm. lat. Vol. VII, p. 102, 13.

inuenire, qui conatus quanti aestimandus sit in initio huius opusculi dixi. Item hanc negationem commemorauit in numero aduerbiorum negandi Maximus Victorinus. — In Probi institutis artium quae uocantur quaeque sine dubio quarto saeculo composita sunt, exstat unus locus huc spectans [1]), qui tamen nihili faciendus est, ut eum silentio praeterire possim. Praeterea in scriptis, qui sub Probi nomine tradita sunt, „haud“ nusquam mihi occurrit; neque usquam in Charisii arte grammatica, quamquam ille id enumerauit inter aduerbia negandi de eiusque scriptura disseruit, cui tamen rei non multum tribuendum est [2]).

Apud Diomedem semel inueni „haud piguit“. Seruius in scriptis, quae ad artem grammaticam spectant, neque mentionem fecit huius uocabuli neque eo usus est; in commentario autem ad Vergilii carmina composito persaepe exstat formula „haud longe“. Praeterea Seruius ipse tales formulas, quales sunt „haud ignarus, haud aliter“ similesque litotetos figuras esse dicit. — E posteriorum numero neque adhibuerunt neque commemorauerunt hanc particulam Dositheus, Pompeius, Consentius, Audax; Cledonius eadem paene uerba de hac negatione fecit, quae exstant in Probi institutis, quod de Cassiodorio quoque dicendum est. In Phocae libro [3]) qui est „de aspiratione“, huius quoque uocabuli mentio facta est, quae uerba nescio an non pluris habenda sint quam Probi. Legimus porro apud Adamantium siue Martyrium coniunctionem „haud latinus“; sed pro hac lectione in Cassiodorii excerpto ex libro Adamantii facto exstat „minimeque latinum“. Priscianus commemorauit tantum hanc negationem inter aduerbia negandi, ipse in con-

1) cf. Keil. Vol. IV, p. 145. l. 3. sqq.
2) cf. ibid. I, p. 112.
3) cf. ibid. V. p. 440, 42. sqq.

textu suo non adhibuit; in Eutychis arte grammatica semel legi ,haud facile'.

Sed iam ad reliquos scriptores redeamus. Atque hic iterum nobis occurrunt paucis exceptis rerum gestarum scriptores, qui hac particula usi sunt. Id autem praemonendum esse puto, plerumque ,haud' ab iis cum aduerbiis et adiectiuis coniungi, semel fere tantum ab unoquoque eorum cum uerbo. Non inueni autem ,haud' in libris Palladii, rhetorum minorum, quos edidit Carolus Halmius, Vegetii, Augustini[1]), Daretis Phrygii, Alcimi Auiti, in historia Apollonii regis Tyri, in Justiniani corpore iuris quod uocatur, quoad quidem legi.

Eorum scriptorum e numero, quorum in scriptis ,haud' apparet, primum hic proferam incerti auctoris itinerarium Alexandri Magni, cuius auctor Sallustianum sermonem imitatus non discedit in adhibenda hac particula a lege communi (haud amplius, minus, procul, leuis, dispar, facilis, pronuntiare). Proximus tractandus est Aurelius Victor, apud quem inuenimus ,haud' undecies ante aduerbia (,procul, difficulter, modice, dubie, secus, multo, incommode, multum), semel ante adiectiuum (inanis), semel cum uerbo coniunctum (egere). Similis est usus in epitome ex eius libro qui inscribitur ,Caesares' facta', nisi quod illic primum exstat locutio ,haud modo — sed etiam', quam nusquam nisi hoc loco legi. — Jam sequuntur duo scriptores, Eutropius et Rufus Festus, qui ut in aliis rebus, ita etiam in usu huius particulae plane cum Liuio congruunt. Cum uerbis autem eam iam non coniunxerunt, sed raro tantum cum adiectiuis et aduerbiis illis in hac re usitatissimis ,dubie, longe, multo, procul, dubius'. Semel etiam nobis occur-

1) Perlegi eius libros, qui inscribuntur ,de ciuitate dei' et ,confessiones'.

rit locutio ‚haut sciam an' in epistula imperatoris Theodosii inter Ausonii opera exstante, ut iam supra commemoraui.

Paulo saepius hanc particulam adhibuerunt Dictys Cretensis qui nominatur, Symmachus, Ammianus Marcellinus, Ambrosius, Hegesippus qui uocatur, Hieronymus; neque id mirum, si consideramus auctores, quorum in sermone suo excolendo uestigia presserunt. Nam Dictys Cretensis in translatione sua locutionibus ex permultis scriptoribus repetitis usus est; quam ob rem facile intellegi potest, eum etiam in huius uocabuli usu non a prioribus scriptoribus differre. Sic legimus apud eum exempli gratia aliquoties ‚haud' coniunctum cum substantiuis addita praepositione ‚sine' (haud sine consilio, sine magno gemitu, exitio); tales autem locutiones cum Liuius primus atque solus fere adhibuerit, non dubito, quin Dictys hac in re eum imitatus sit. Idem facile demonstrari potest in reliquis uocabulis, ad quae neganda ‚haud' usurpauit (facile, frustra, longe, multo, procul, segnius, alienus, contentus, dissimilis, expers, integer, liber, multus, minor, necessarius, condolere, credere). Neque aliter res se habet in libris Symmachi, qui omnino 12ies hoc uocabulo usus est (dudum, ita, longe, mediocriter aequus, multus, iniquus, quisquam, uereri, scire). — Sequitur Ammianus Marcellinus, cuius usus huius uocabuli totus is est, quem apud Liuium reliquosque historicos uidimus, quamuis tenuissimus; nam cum adiectiuis plerumque et aduerbiis in hac re usitatissimis ‚haud' coniunxit (dudum, ita dudum, diu, tamdiu, longe, longius, multo, procul, dispar, exilis, exiguus, leuis, longus, minor, mitis, paruus, paucus), semel tantum cum uerbo (haud aspernandus). Neque quidquam aliud dicendum est de Ambrosio, qui locutionibus illis saepissime a scriptoribus adhibitis usus est idque non ita saepe (dubie, facile, difficile, inutilis, exiguus, facilis, ignobilis, infecundus, difficilis, degener, dubitare, scire).

Hegesippus quoque qui uocatur plane historicorum uestigiis in usurpanda hac negatione ingressus est, quippe apud quem praeter illa notissima ‚haud difficile, multo, dubie, facile, usquam, inferior, mediocris, exiguus, ignobilis, nescius, incruentus, incuriosus, dignus, ullus, scio‘ noua tantum legerimus ‚haud liquido, perfunctorie, superfluo‘.

Sed ab hoc tempore uocabulum ‚haud‘ magis atque magis euanescit; nam Hieronymus praeter ‚haud aliter, longe, grandis, ignobilis, paucus, prius, ambigere‘ 15ies, quoad quidem legi, adhibuit tantum formulas ‚haud procul‘ et 25ies fere ‚haud dubium quin‘[1]), quod respondit uocabulo scilicet. Rufinus qui sequitur semel scripsit ‚haud procul‘ et ‚haud dubium quin‘; Sulpicius Seuerus 9ies ‚haud longe‘, praeterea ‚haud dubius‘ et ‚haud facile‘ praebet. Apud Macrobium exstat semel ‚haud inscius, turpis, scio‘. In Exsuperantii libello inueni semel ‚haud facile‘. Martianus Capella usus est bis locutione ‚haud procul‘, semel ‚haud indecenter‘. Orosius Liuium secutus adhibuit semel ‚haud longe‘ et, haud dubius‘, 10ies ‚haud procul‘. — Paulo reuiuiscere nobis primo aspectu uidetur usus huius particulae apud Joannem Cassianum, qui eam ante aduerbia ‚dubie, difficile, facile, leuiter, longe, segnius, recte‘, ante adiectiua ‚leuis, inferior, dubius‘, ante uerbum ‚contemnere‘ posuit; sed haec uocabula, si conferemus cum iis, quibuscum antea ‚haud‘ coniunctum uidimus, ‚recte‘ tantum aduerbium nouum accessisse cognoscemus. — Caelius Aurelianus primus usus est hac negatione ad negandum comparatiuum ‚rarius‘[2]). — Saluianus usurpauit

---

1) cf. comm. in Jes. proph. V, c. 20. v. 19. haud dubium quin Euangelium significet.

2) cf. Cael. Aurel. de morb. acut. 2, 1, 2. quorum haud rarius ex supradictis prima contingant.

semel locutionem „haud multo“; Apollinaris Sidonius primum in epistulis suis adhibuit semel „haud aspernanter“ et „haud incassum“.

Aliquoties deinde exstat „haud“ in Mamerti Claudiani libris, qui sunt „de statu animae“ (dubie, impune, temere, par, intendere, animaduertere, intellegere). Victor Vitensis bis adhibuit „haud procul“; Idacius semel usus est „haud longe“ et „haud unquam“, bis „haud procul“; apud Sedulium semel in praefatione carminis, quod inscribitur „Paschale“, legimus „haud diligere“.

Boetius in libro suo, qui inscribitur „de consolatione philosophiae“, semel scripsit „haud aliter, multum, immerito, sic, cessare“, bis „haud iniuria“; in reliquis eius scriptis semel tantum exstat „haud“ coniunctum cum pronomine „quisquam“. In Ennodii scriptis inueni bis „haud procul“, semel „haud liber“ et „haud inscius“. In Cassiodorii libris, quos quidem legi, bis mihi occurrit „haud inrite“. Marcellinus Comes in chronicis suis bis scripsit „haud longe“, semel „haud paucus“. Apud Jordanem semel exstant „haud longe, procul, obscurus, segnis, premere“, ter „haud secus“. — Ultimi scriptores, quorum libros perlegi, Gregorius Turonensis et Eugippius sunt, apud quos inueni „haud longe, secus, procul“, usitatissimas illas formulas. In Gregorii historia Francorum praeterea exstat semel „haud longaeuus“.

Vocabula, quibuscum poetae illius aetatis hanc particulam coniunxerunt, eadem fere sunt, ut iam supra dixi, atque apud Vergilium, quem praecipue in carminibus suis componendis auctorem sermonis secuti sunt.

Sed uocabula ipsa aeque atque apud eos, qui soluta oratione usi sunt, maxima ex parte sunt aduerbia atque adiectiua. Commemorandi autem sunt praeter ceteros, qui admodum raro hanc particulam adhibuerunt, Juuencus, Auienus, Prudentius Clemens, Claudius Claudianus, Corippus; non usi sunt hac negatione Commo-

dianus, Terentianus Maurus, Lactantius, Reposianus, Pentadius, Domnulus, Dracontius, Luxorius, Coronatus.

His omnibus ex rebus id contendere posse mihi uideor, ‚haud' inde ab aeuo Ciceroniano nisi uiris doctis nulli usitatum fuisse. Neque uero fuisse legem iis quidem temporibus, ex quibus libros scriptorum seruatos habemus, ‚haud' cum quibusdam uocabulis semper coniungi, inde apparet, quod ante omnia uocabula, ad quae neganda ‚haud' adhibitum est, ‚non' quoque idque plerumque apud omnes fere scriptores multo saepius positum est.

V.

De ‚haudquaquam' particula composita.

Iam apud priscos scriptores aliquoties inuenitur negatio composita ex ‚haud' et ‚quaquam', quae partes quo modo in unum confluxerint quaeque uox perierit, nondum satis perspectum habeo. Stuerenburgius quidem, qui in commentatione sua de ‚haud' particula composita de hoc quoque uocabulo egit, eam compositam esse censet ex ‚haud qua parte quam', quod idem sit ac nostrum „nicht eben in irgend einer Hinsicht", aeque ac ‚nequaquam' ortum sit ex ‚ne qua parte quam'. Quam sententiam mihi iam recte uidetur refutasse Handius [1]), cum dicit: ‚Cum uocabulis affirmationis coniungitur ‚haudquaquam', quod cum Stuerenburgius reddit uerbis „nicht eben in irgend einer Hinsicht", non uideo, quo modo absonam sententiam, quae asseuerationem cum dubitatione consociet, defendamus'. Handius ipse de originatione huius uocabuli non disserit; differentiam autem inter ‚haudquaquam' et ‚nequaquam' non ui aut significatione, sed forma ac modo constare censet. Nam ‚ne' tollere notionem et mutare, quasi si quis diceret:

---

1) cf. Handius ‚Tursellinus' III, p. 40 ssq.

‚ne quis existimet quaquam': ‚haud' itidem negatiuam efficere notionem, sed ut ‚esse ita' negaret, quasi diceremus: ‚non est quod quaquam siue ullo modo sit uel esse putetur'. Significare igitur ‚minime omnium, omnino non: ganz und gar nicht, keineswegs, et usurpari eadem ratione, qua ‚haud'. Qua ex sententia Handii comprobo haec: esse ‚haudquaquam' idem ac nostrum ‚ganz und gar nicht, keineswegs' et usurpari eodem modo, quo ‚haud'; discrimen uero notionis inter ‚haudquaquam' et ‚nequaquam' inuenire non possum. Quam ob rem amplector Georgesii 1) sententiam, qui ad utramque negationem supplendam esse censet uocem ‚ratione', ut utrumque uocabulum eandem uim habeat ac ‚nulla ratione'.

De scriptura huius negationis idem fere dicendum est ac de ‚haud', nisi quod titulorum auctoritate non fulcitur.

Quod attinet ad usus frequentiam ipsam eiusque rationem, multo rarius quidem exstat quam ‚haud', sed, ut iam supra dixi, eadem ratione adhibitum.

Apud priscos scriptores ter tantum nobis occurrit, id est apud Attium 618: Profecto hauquaquam est ortus mediocri satu. (Hoc loco ‚hauquaquam' sine dubio pertinet ad uocem ‚mediocri'; ‚mediocris' autem saepe cum ‚haud' coniunctum inueni). Idem dicendum est de Enn. ann. 299 (ed V.), ubi ‚haudquaquam' adhibitum est ad negandum pronomen ‚quisquam'. Neque aliter res se habet tertio loco, qui exstat in Ter. Heaut. I, 2, 1: haudquaquam etiam cessant. Hoc enim loco coniungenda certe sunt ‚haudquaquam' et ‚etiam'; ‚haud etiam' autem legimus Plaut. Truc. 321. Merc. 386. Mil. glor. 1400. Pers. 231.

Usu priscorum scriptorum descripto iam transeamus ad aureae quae uocatur latinitatis scriptores, quorum e

---

1) cf. eius lex.

numero praeter Liuium hac negatione usi sunt Cicero et Sallustius, uterque autem ad adiectiua tantum neganda (bonus, difficilis, eloquens, mediocris, mirandus, par). Liuius ipse adhibuit hanc particulam omnino 66^{ies}, 35^{ies} cum adiectiuis, 7^{ies} cum aduerbiis, 4er cum pronominibus et substantiuis, 20^{ies} cum uerbis, ter in antithesi. Adiectiua talia sunt, qualia ‚abiectus, aequus, ambiguus, dignus, dubius, facilis, ignarus, ignotus, impar, incruentus, laetus, maturus, memorabilis, muliebris, par, promptus, secundus, similis‘; pronomina sunt ‚idem, tantus, tantundem; aduerbia exstant ‚prospere, stolide, satis, tam — quam‘; substantiuum ‚contemptor‘ in adiectiuorum numero habendum est; uerba haec sunt: ‚aduersari, aequare, comparare, contemnere, conuenire, deesse, discrepare, neglegere, placere, percellere, posse, respondere, spernere, terere‘.

Argenteae quae uocatur latinitatis scriptoribus minime placuisse uidetur, cum rarissime tantum exstet coniunctum cum adiectiuis. Curtius Rufus enim usus est hoc uocabulo 8^{ies} ad neganda adiectiua ‚accommodatus, gratus, par, potens, rudis, securus; Plinii in naturali historia repperi semel tantum locutionem ‚haudquaquam perpetuus‘; Tacitus scripsit semel ‚haudquaquam erectus,, fractus, nouercalis, par‘ et semel ‚haudquaquam detractor‘.

E numero sequentium scriptorum proferendi sunt Fronto, qui coniunxit hoc uocabulum semel cum adiectiuis ‚securus‘ et ‚utilis‘ et semel cum uerbo ‚paenitet‘, Aulus Gellius, apud quem ter leguntur ‚haudquaquam indoctus‘, semel ‚haudquaquam ineruditus, dubitare, displicere, putare‘, Apuleius, cuius in libris semel exstat ‚haudquaquam occultus, de nihilo, procul, diligere‘. Aurelius Victor scripsit semel ‚haudquaquam plurimum‘ et ‚haudquaquam par‘. — Paulo saepius hoc uocabulo usi sunt Ambrosius et Hegesippus qui dicitur, ille ad

neganda adiectiua, substantiua, uerba, hic ad neganda adiectiua, aduerbia, substantiua, uerba. Uocabula, ante quae apud Ambrosium ‚haud‘ legitur, sunt: ‚decolor, degener, inflexus, omnis, par, paternus, semiustilatus, dissimulatio, comparare, deponere, debere, placere, suppeditare‘, omnino 13^{ies}; Hegesippus 10^{ies} usurpauit ad neganda uocabula ‚communis, non donatus = indonatus, uacuus, ullus, grauiter, ascribere, dissimulare, distare, existimare, inuenire‘. Semel etiam apud Hegesippum in antithesi positum est: 1, 37, 5 Josephus hautquaquam, ut arbitror studio proditionis, sed... Praeterea commemoro hunc locum a communi usu paulum abhorrentem: 4, 18 ut ferro hautquaquam uel alia praeacuta metalli specie recidatur.

Ad extremum inuenimus hanc negationem apud Claudianum Mamertum 6^{ies} coniunctam cum ‚quisquam, recte, posse, praeterire, pulsare, semel apud Boetium cum pronomine ‚ullus‘.

Poetarum e numero pauci tantum hoc uocabulo usi sunt, ut Lucretius ad neganda ‚scruposus, longe, esse, florere‘, Vergilius ad neganda ‚ob meritum, flectere‘, Silius Italicus ad negandum ‚decus est‘; Papinius Statius ad negandum adiectiuum ‚regalis‘, Prudentius Clemens ad neganda ‚ignauus, insolitus, magnus solus, dicere‘.

INDEX.

I. Adjectiua.

